

[7]. Saecularium etiam villae, quando sub hoc sequenti biennio domini earum vacationem a bello habebunt, similiter ex singulis laneis singulos fertones ad obeunda praedicta bellica onera persolvent^f.

VII. ORDINATIO FACTA DE REDIMENDA PRAEDA A MILITIBUS MERCENARIIS ET NOBILIBUS, PER EOS A TARTARIS RECUPERATA^a

Sigismundus Dei gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Lithuaniae, Russiae Prussiaeque etc. dominus et haeres.

[1]. Significamus tenore praesentium universis, quia intelligentes magnam iniuriam et damnum saepe fieri nobilibus et aliis subditis nostris, in Russiae et Podoliae terris existentibus, a militibus nostris mercenariis et ab his, qui cum illis simul vel separatim Tartaros, in easdem terras irrumpentes et domum inde fugientes, persequendo, ab ipsis praedam boum, equorum, pecorum et pecudum eripiunt, et contra omnem aequitatem pro se usurpant, non permittentes illam redimi ab illis, qui aliquid ex eadem praeda suum esse cognoscunt; censentesque id esse crudele et nomine Christiano indignum, quod debeant milites et alii subditi nostri ea, quae ipsi a Tartaris vendicarunt, sibi retinere ac violenter et quasi hostiliter auferre, statuimus et ordinavimus ad postulationem nuntiorum terrarum praedictarum, communi consiliariorum nostrorum, in praesenti Cracoviensi generali conventu congregatorum consensu, statuimusque et ordinamus per praesentes, quod quilibet subditus noster, in terris praedictis constitutus, possit a militibus et ab aliis, qui praedam huiusmodi a Tartaris quodocunque et quotienscunque recuperant, equos, boves, pecudes et pecora sua redimere pretio infrascripto: equum videlicet uno fertone, equam sex grossis, bovem totidem, voccam tribus grossis, iuencam pari trium grossorum pretio, quinque vero oves coniunctim uno duntaxat grosso, ut et damna passi sua se reperisse gaudeant, recuperatores vero eiusdem praedae ad recuperandam aliam reddantur hoc pretio et lucro pro labore eorum et opera alacriores. Qui vero bello intersunt, illi equos, pecora et pecudes suas et suorum subditorum redimere non tenebuntur, sed libere omnia sua et subditorum suorum percipient.

[2]. Quod vero ad iudicia cum Valachis pro rebus furtivis, hoc est furto ablati, attinet, statuendum etiam et ordinandum duximus statuimusque et ordinamus praesentibus, paci et iustitiae ac indemnitati subditorum utriusque dominii consulentes, ut ipsa iudicia de furtis agantur cum Valachis singulis sex septimanis in castro Camenecensi, peractis iudiciis castrensibus, quae etiam singulis sex septimanis agi solent. Et quicumque nobilis, citatus per capitaneum Camenecensem, subditum suum de furto accusatum non statueret, poena trium marcarum puniatur. Si vero aliquis allegaret, se talem accusatum non habere in ditione sua, extunc^b, videlicet cum citatio ad illum pervenit, iuramento id comprobare debet ipse, vel in eius absentia, quando citatio ad domum eius pervenit, factor vel officialis suus alias *wataman*. De subditis reverendi domini episcopi Camenecensis officialis et factor suus, qui *wataman* dicitur, sistere homines, respondere et iurare modo praemisso debebit. Capitaneus vero Camenecensis, quando tale iudicium faciet, habere debebit circa se tres bonos viros ex officialibus vel nobilibus aliis terre illius, qui in tali iudicio nihil rei de hominibus suis haberent. De furtis autem, quae fiunt inter subditos nostros domesticos, agi debet iure terrestri consueto.

Harum, quibus sigillum nostrum est subappensum testimonio litterarum. Datum Cracoviae, feria sexta proxima ante dominicam Laetare anno Domini millesimo quingentesimo decimo octavo [12 III 1518], regni nostri anno duodecimo. Relatio reverendi etc.^c

^f Ponieważ wszystkie teksty pochodzą od Górkiego, on zapewne dokonał pewnych przeróbek, polegających m.in. na pominięciu zakończenia.

^a Tak w MK₂. O. Balzer (CIP, t. III, nr 195, s. 356) zatytułował ten tekst: *Ordinatio praedae a Tartaris recuperatae in terris Russiae et Podoliae a militibus mercenariis redimendae atque iustitiae de subditis Valachiae in furto deprehensis administrandae*.

^b W MK₂: et tunc.

^c O. Balzer, zamiast: etc. uzupełnił: in Christo patris domini Petri, episcopi Premisliensis et regni Poloniae vicecancellarii.